

Wd
872

1



SUPREMAM PIETATEM

quam

SERENISSIMO PRINCIPI

ac DOMINO,

DOMINO

JOHANNI WIL-
HELMO,*Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Montium, Angriae ac
Westphaliae, Landgravio Thuringiae ac
Marchioni Misniae,
&c. &c. &c.*

S. CAESARAE MAJESTATIS

in Militiâ Imperiali Sociâq; GENERALIS

CAMPI MARESCHALLI

LOCUM - TENENTI,

post varia bellò parta Tropæa,

inter alios Heroas nuperam TAURENTII & TOULONÆ

obfidionem fortiter urgenti,

sed D. XV. Mensis AUGUSTI

hujus ad finem properantis Anni MDCCVII,

factâ Gallorum, antelucanò tempore, eruptione,

fatali sceloperum jactu,

caducâ quidem, non tamen æternâ vitâ privato,

sed Fide, Heroë Principeq; Christianò dignissimâ,

animam DEO reddere parato:

ACERBE LUGENTES DITIONES

SAXO - GOTHANÆ

nuper perfolverunt,

aliqui bonis literis operam naves

Gymnâsii GORLICENSIS Cives submissè repetent.

*Hinc, ut eos benevolè audituri D. XIV. Decembr.**finitis sacris matutinis conveniant*

PATRONI FAUTORES & AMICI

obſervanter rogat

M. SAMUEL GROSSER,

Gymnâsii Rector.

GORLICII, TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.



1894.



epiusculè AUGUSTUS Mensis non tam visus est
augmentis *Serenissimarum Stirpium* favere, quàm, de-
cussis ramis folisque; imò fructibus erepris, decre-
menta festinare. Nam, vel sola *Serenissimi Wittkin-
dei* stemmatis Historia, quâ *Principum Saxonie* na-
scendi recensetur ordo, perquam memorandis eo-
rum exemplis scatur, quos non auxit vitæ munere,
AUGUSTUS Mensis, verum exiit. Non obscuro
inter Magdeburgenses Archi-Episcopos ERNESTI nomen est.
Hic, FRIDERICI *Sapientis* Frater, multis cum in Ecclesiam, cui regendæ
præerat, tum in Republicam collatis beneficiis innotuit. Aedificia
publica, & in his præsertim Cathedrali Ecclesiam insigni magnificen-
tiâ extulit: Vicinos bellò pressos copiis & armis promptè juvit: &, supre-
mâ imminente horâ in mortis solatium oblata Monachorum bona operâ
religiosè detestatus, fidei in solò Christi Servatoris meritò defixæ docu-
mentum edens, obdormivit. At hoc ipsum A. MDXIII. Die III. *Menſis Au-
guſti* contigit. Nondum planè partem mediam attingeret jam memoratum
Seculum, cum eandem Lethi viam calcare pergeret HEINRICUS *Pius*,
GEORGII Divitis frater, tantò propagandæ orthodoxæ fidei intentior,
quânto hic *Lutheri* studiis infensor cognoscebatur. Hujus vitæ, nec in
Palæstinam magnò sumptu ac periculò susceptum iter, nec velana *Frisio-
rum*, inter quos *Pro-Principatu* fungebatur, insolentia perfidiaque, flum
abrumpebat: abrumpebat tamen Dies XVIII. *Menſis Auguſti* A. MDXLI.
Et planè consimilem mortalitatis exuendæ terminum FRIDRICUS, *Jo-
hannis* Vinariensis Filius secundogenitus expertus est. Is enim, turbatis
in Patriâ rebus, Batavorum signa secutus, editò ad *Fleviam* egregiò Vir-
tutis documentò Die XIX. *Menſis Auguſti* A. MDCXXII. occubuit. Nec
in tribus his funeribus defuit fatalis esse Stemmati SAXONICO hic *Men-
ſis*: verum plures hæcenus erepris Principes adjecit. Exspirabat D.
XXII. *Menſ*, AUG. A. MDCXXCII. *Serenissimus* ac Potentissimus E-
lector JOHANNES GEORGIUS II. Exspirabat, D. XII. *Menſ*, AUG.
A. MDCXXCIX. CHRISTIANUS, AUGUSTI, Administratoris Mag-
deburgensis Filius secundo-genitus, Princeps multis Expeditionibus fe-
liciter susceptis inclutus, & tunc *Electori* Moguntiam Gallis iterum erep-
tum ire laboranti Comes, & Militiæ Dux spectatissimus. Exspirabat,
D. II. *Menſis* AUG. A. MDCXCI. FRIDERICUS DUX Saxo-Gothanus
SERENISSIMUS, Divi ERNESTI *Pii*, SEPTEM FILIORUM
ipsi defunctò superstitum felicissimi PARENTIS, Primogenitus. Quem
PRINCEPEM Virtutum splendidissimo fulgore vulgarem laudis appara-
tum longè supergressum, quàm acerbè fleverit ereptum, quàm effusè do-
luerit Saxonia: ipse tum & Testis fui, & regnantis luctus socius. Ea quippe
erat ALTENBURGÆ ejus Rem Scholasticam curatum fueram voca-
tus, facies, ut AUGUSTUS Mensis non tam incolarum horrea opimâ fru-
gum, quàm pectora densissimâ mærorum messè videretur adauxisse.
Leniebat tamen funestissimam calamitatem, & dolore fractas subditorum
mentes præsentissimò solatiò reficiebat, FILIORUM à PARENTE Divò
relictorum placidissimò aspectus. In his quippe elucebat PATRI
Magnanimitas, AVI Pietas, MAJORUMq; Fortitudo, Candor, Benigni-
tas, Prudentia, & quæ sunt plures Stirpi Saxonica per generationem ve-
lu

lut insitæ Virtutes. Nec fefellit eos Spes de SERENISSIMIS PRINCIPIBUS concepta, verum omnes adimplevit numeros: adeo non Paternarum ditionum, sed Virtutum adisse vili sunt Hæreditatem. Rexit alter, populos incomparabili Justitiâ Clementiæque: alter exercitûs Imperiõ, Exemplo, & eximiâ Felicitate rexit. Meruit alter domi Civium amorem constantissimum, Vicinorum amicitiam, CÆSARIS applausum atq; gratiam, Regum exterorum honorificam de gubernandi, quibus uti pergit artibus, existimationem: alter foris admirationem, gloriam spectatâ Fortitudinis, & varia Martis Bræbe meruit. Eluxit in ILLO, & adhuc elucet Pacis domi subditis præstandæ studium: in HOC damna Patriæ inflisita bellõ reparandi, & S. R. Imperii Majestatem vindicandi desiderium eluxit. Atq; utinam diutius amore mutuõ & parili virtutum æmulatione inter se certare perexissent FRATRES SERENISSIMI: quanta non ex Eorundem vitâ moribusq; subditis lætitiâ, quantum non augustâ Principum Saxoniorum stirpi splendor, quantum non communi Germanorum causæ incrementum accessisset? Sed mors invida eorum nobis alterum invidit, atq; nuperõ XV. Mensis Augusti Die, hostium sclopertis interemptum abstrulit. Occidebat ergõ Sol tunc orbi expectatus ante, quàm Saxo-Gothanis & vicinis terris ortus fuerat. Quorûs enim quisq; Principem antelucanõ tempore, & vix adhuc diluculõ pleniorẽ, defectum recordatur: mæstâ voce, de illius obitu judicium laturus, inquit: OCCIDIT ANTE DIEM. Interim cum nemo sit, qui non tam repentinõ & inopinatõ Principis fortissimi funere concussus, lachrymis gemitibusq; diffuat: non præsentis saltem de supremis honoribus Eidem publicè solvendis cogitare fas est: verum isthæc Pietatis pars ad illos quoq; pertinet, qui inter accolos versantur. Hinc etiam nos, memores submissâ venerationis, quâ SERENISSIMO SAXO-GOTHANO STEMMATI obstringimur: ereptum terris & rebus gerendis SERENISSIMUM PRINCIPEM ac DOMINUM, DN. JOHANNEM WILHELMUM, Ducem Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angrie & Westphalie, Landgravium Thuringie, Marchionem Misnie, &c. Militiæ Imperialis Generalem Campi Marschallum Locumtenentem publicâ Panegyri lugebimus. Initium ducetur à lugubri Odâ:

Suspende chordas, turba novensilis,
Illisq; rancum subijce Barbiton:
Silete, bombis incitata
Tympana, cum lituis tubisq;ve.

Non Mars fugatis proruit hostibus,
Ferox Tropæõ júbila postulans:
Sed occidit PRINCEPS, Triumphos
Promeritus, patulasq;ve lauros.

Heu! quàm fugaci volvitur orbitâ
Vitalis aure flexilis ambitus!
Dum verrat atas, dum Jurvente
Robur adhuc viget, interimus.

Prælustre STIRPIS SAXONICÆ
Decus,

Fato peremptum præcipiti, ruit,
Rerumq; gestarum celebres
Morte tegit Titulos cruentâ.

Hinc Albis, altõ gurgite profusus,
Ferule murmur fluctibus impet:
Salæq;ve, ruptis lacrymarum
Fontibus, ingemuntur undæ.

Meretur isthæc numerâ PRINCIPIS
Monstrata, nullõ fracta periculo,
Virtus; ademptum Fama cælo
Contiguis memorabit astris.

Hæc

Hæc, comitante tibi arum atqve fidium lugubri concentu, decantata, cathedram conscendet.

JOHANNES CHRISTOPHORUS Bierling/

Altenburgensis Mifnicus,

& vocem communibus Patriæ lamentis conformaturus, in Laudes defuncti PRINCIPIS excurrat: ac, iis expositis, in Votis pro fupersitite SERENISSIMO FRATRE, PRINCIPE ac DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, ardentiffimò calore fufis, definet. Jungent autem fuos plantibus Avunculi gemitus

SAMUEL FRIDRICUS Groffer/ & }

JOHANNES Gottlob Groffer/ }

Altenburgenses: ac

ille quidem verba Pf. LXXXIV. 12. SOL CLYPEUSQVE DEUS, *Carminè latinò*: hic autem verba Pf. LX. 14. Mit GOTT wollen wir Thun thun: *Verfu germanicò* gloriofæ PII PRINCIPIS memoriae succinctè applicabit. Et fic, ubi vox eorum contigerit, chorus suam Pietatem repetens, unde, Principium duxit, in eò quoq; finiet officium, hanc ODAM decantaturus:

Perge lamentò refonare: perge

Vocè lugubres iterare lefius:

Perge GOTHANI, qverulo dolore,

PRINCIPIS Aula.

Perdidit PRINCEPS, moriente FRA

Svave Solamen, patriæq; stirpis (FRE

Lucidum Sidus, radiò vibrante

cuncta serenans.

Splendidis fulgens velut Hæctor armis

Edidit pugnas super astra notas:

Laude sic PRINCEPS etiam remotis

fulget in oris.

Sed tamen fetum gemitumqve fiste,

Et caput pepi retegatur umbris:

Qvid juvat celsà Dominum dolere

fedè receptum?

Vivit extinguis, nihil extimescens

Plena mundanè fera spicula fraudis:

Vivit, & partos numerat, favente

forte, triumphos.

Vivat in cælo superiùm cohorti

Miftus, & Christo Duce, quem fecutus

Vicit ærumnas, caritura fine

gaudia carpat!

Interim FRATER populo superstes

Vivat in terris, valeat, diuqve

Publicam molem moderetur, almâ

pace coruscus!

Vos ergò finguli & univerfi, qui AUGUSTÆ STIRPIS SAXONICÆ cum ELECTORALIS tum DUCALIS flore florem quoqve fubditorum contineri noftis: venite, Die crastina, finitis facris matutinis, & communem Patriæ jacturam, quam in PRINCIPE defunctò fecit, unanimiter, lugentes, DEUM rogitate, ut ab eâ tam funestas clades benigniffimè avertat, & Ejusdem incrementis atqve perpetuitati ita faveat, ut, fvasiffimò virore nitens RUTA SAXONUM, ab omni adverfæ tempeftatis impetu TUTA vigefcat, frondeat, florefcat, & ad ultima producta

Secula perduret! PP. Gorlicii è Mufeo D. XIII. De

embr. A. MDCCVII.

V D
18

ULB Halle 3
007 678 347





